



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

Christi Ivdicantis Imago.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

## CHRISTI IUDICANTIS IMAGO.

*Theodora  
Augusta,  
& Theo-  
philo filio  
imperan-  
tibus.*

Bogoris Bulgarū Rex, aspectu  
imaginis vltimum Christi iudi-  
cium referentis, idola eierat, & intem-  
pesta nocte sacro fonte tingitur,

**R**efert Ioannes Curopalata Scilizza, Io-  
anne Baptista Gabio interprete, nam  
Græcum ego codicem desideravi; regem  
Bulgarum Bogorem postea Michaëlem di-  
ctum, ex contemplatione adumbrati peni-  
cillo extremi iudicij ita fuisse motum, vt,  
cum diu ante de Christiana religione deli-  
berasset, summa nocte sacris Christianis  
initiari voluerit. Verba Curopolatæ ex  
translatione Gabij hæc sunt.

Bogoris autē Bulgarum princeps, quum  
audisset mulierem cum tenero adhuc pue-  
ro Romanis imperare, audacia elatus nun-  
cios ad Reginā misit, per quos minabatur  
se fœdera soluturum, & Romanorum fines  
inuasurum. at Regina nihil humile, neque  
effeminatum cogitans, & me, inquit, inue-  
nies paratam ad resistendum in acie, Deūq;  
nutu superiorem; si autem quod absit, vi-  
ctor ipse fueris, hoc quoque pacto mea erit  
victoria.

victoria.

victoria; viceris enim non virum, sed mulierem: quibus verbis confusus, & deterritus quieuit, & pristina fœdera renouauit, miserunt interim vtrò, citroque legatos, & Regina, & Princeps. Regina legatos accepit à quodam Theodoro, Cuphara cognomento, viro idoneo, & administrandæ Reipubl. utili, qui tunc in Bulgaria captiuus detinebatur. Princeps verò à sua sorore, quæ in quadam excursionem capta, in regiâ commorabatur; hæc enim iam pridem captiua adducta, & Christianorum religione initiata, literasque edocta, quo tempore captiua erat, ac nuper liberata, non desisteat fratri Christianorum mysteria commendare, & in eius cor fidei semina iniicere; qui tamen antè à Cuphara diuina mysteria fuerat edoctus: facta autem permutatione, & reddita muliere fratri, restituto item Regiæ Cuphara, quamuis antè princeps instructus esset, & diuinis imbutus mysteriis, adhuc tamen retinebat infidelitatem proprio cultui addictus; verùm quum ingens fames Bulgarorum regionem occupasset, omnique destituerentur auxilio; Princeps ipse Christianorum Deum, vt sibi opem ferret, inuocauit, idemque facere omnem sibi subiectam nationem iussit, im-

petra-

petratoque remedio, & fame liberati, ad-  
 veram religionem se conferunt : & Prin-  
 ceptis noua lauacri regeneratione donatur,  
 de nomine Imperatoris Romanorum Mi-  
 chael appellatus, ab Episcopo, qui ad eum  
 missus fuerat, ei que diuinum lauacrum im-  
 pertitus est. Aliud quoque accidit, quod Princi-  
 pem ipsum in vere fidei cultu magis confir-  
 mauit. Insatiabiliter iste venationi deditus  
 erat, qua oblectare sese studebat, non mo-  
 do quum se venatum conferret, sed etiam  
 quum otiosus esset domi; idque per ani-  
 malium pictas figuras. Constructa noua  
 domo, Methodium quemdam monachum,  
 arte pictorem, iussit domum illam pictu-  
 ris exornare, verum quasi diuinam quadam  
 prouidentiam ductus, non prescripsit defi-  
 nitum, quanam & qualia pingeret animalia:  
 verum quaecumque ipse vellet, iussit depin-  
 gere; terribilia tamen esse, quae pingeren-  
 tur, ut spectantibus terrorem, & metum  
 incuterent; ille autem nihil terribilius no-  
 scens secundo Christi aduentu, hunc ibi  
 descripsit. quumque iam finita illa esset pi-  
 ctura; conspicatus Princeps ex altera parte  
 iustorum coetum coronari, ex altera vero  
 impios puniri, & a pictore percepta pictu-  
 ra mente, statim propriam eiurat religio-  
 nem.

nem.

nem. Imbutusque, ut diximus, à sancto Episcopo diuinis mysterijs, in tempesta nocte sacrum percipit baptismum. Quum autem cognouissent nationis præfecti, & communem mutatum religionis cultum, in Principem conspirant, eumque de Imperio deicere studebant, quos ille parua, quæ secum habebat manu, fudit, fugauitque, præeunte crucis signo, & inopinata re perculsos Christianos effecit.

### ANNOTATIONES.

**N**ihil est, quod dubites de incusso terrore principi, ex aspectu Christi pro iudicio sedentis, quamuis in imagine tantum depicti. S. Paulus, ut est in actis Apostolorum, cum apud Felicem hominem Romanum, & legis diuinæ & Christianæ profusus ignarum, homo uinctus inquam, apud liberum & præsidem gentis, de extremo iudicio verba faceret, ita terruit Oratione Felicem, ut totis artibus cõtemisceret. Fuere etiã, ut narrat septimo gradu Climacus, qui cibi, potionis, suorum ipsi penitus obliti ex cogitatione duntaxat mortis & iudicij stupefcerent, conciderent, & exanimati domum reportarentur. Ex nostris annalibus Occidentis Indiæ de Christi à cruce pendentis imagine huic affine factum depromam, quando in Peruana ditione, obtutu sacre imaginis, magnus hominum numerus vna cum principe exanimatus concidit, nec nisi post tres horas animam ac mentem recepit, princepsque cum filio, sacro mox fonte lustratus est. Sed iuuabit ipsa Antonij Valthrini auctoris

verba

Verba ad fidem faciendam recitare. Multi, inquit,  
 etiam in suas regiones nostros inuitant, omniaque ne-  
 cessaria summa cum amoris significatione deferunt:  
 quorum aliqui miraculo ad Christiana sacra capef-  
 senda sunt impulsī. Quo in genere res accidit literis di-  
 gnissima. Cuzchum ciuitatis quondam Ingarum fuit,  
 que nunc Hispanorum imperio subiecta est, n qua eti-  
 am Vrbe Societatis est collegium; ab ea procul quin-  
 decim dierum itinere prouincia quadam visitur am-  
 plissima, armis diuitijsq; prapotens, cuius amplitudo  
 Leucas dicitur colligere quingentas. Ad hanc prouin-  
 ciam cum quidam Christiani fugerent, vnus ex ijs in-  
 ter sarcinulas Crucifixi imaginem fortè conecit:  
 qui cum postea ad illius prouincia Metropolitim perue-  
 nisset, multiq; admirabundi quærentes curiosius quid  
 illud esset, respondit illum esse Christianorum Deum.  
 Quæ res hominum sermonibus celebrata ad principis  
 aures peruenit; is eadem videndi cupiditate inau-  
 ditus, in aream palatij cum trecentis circiter viris pro-  
 cessit hominemq; sibi cum imagine sisti iussit, quam  
 cum in manus sumisset, diligenter contempletus. Hic-  
 cine inquit, Deus est Christianorū? Ille ipse, Indus in-  
 quit. Tum princeps ait? tu? hiccine Deus est, quo adiu-  
 tore Christiani Ingas, totumque regnum Peruanum  
 subegerunt? Cum Indus affirmaret: At hic, princeps,  
 homo est, ait, omnibus cruciatibus recatus; simul ad  
 imaginem expuens, homini reddidit. Mirum dictu  
 statim Et Indus in manū accepit imaginem, cepit illa  
 caput quod in dextram partem inclinatum habebat,  
 ad sinistram conuertere & oculos in principem, ca-  
 terosq; qui aderant, desigere; qui omnes continuo, præ-  
 ter eum, qui Crucifixi tenebat imaginem, conciderūt,  
 actres horas sine sensu & spiritu mortuis similes ja-  
 cuerunt. Quos cum populus mortuos existimaret, in-

T                      gens

gens tota Urbe luctus excitatus est; Interea Princeps ac deinceps cateri, ad se rediens, surgensq; exclamavit. Verè magnus est Christianorum Deus, reliquisq; omnibus stupore quodam defixis, pœna capitis proposita, edixit, ne quis in posterum Christianorum Deum blasphemaret: atq; extracto, exornatoque iuxta palatium Sacello, ibi crucifixi imaginem collocari, atq; ab omnibus adorari iussit. Postea capit Princeps querere subtilius de transfugis, quis esset Christianorum Deus, quæque eius colendi ratio; cum illi rudes se & ignaros faterentur; esse autem Cuzchi Patres quosdam (nostros videlicet intelligebant) qui mira de hoc Deo loquerentur, Indosq; cum omni humanitate erudirent, princeps eos adire constituit, consilioq; habito cum suis, & se cum filiolo unico sexenni comisit, sex tantum è dynastis, atq; duobus ex transfugis comitantibus, cultu etiã corporis, Vestibusq; mutatis ne posset agnosci, Itaq; cum Cuzchum peruenisset, & sus internuncio Hispano quodam nobili, alterius è transfugis affine, P. Rectorem conuenit, eiq; se, sui que aduentus causam arcano aperuit, rogatq; ut aliquos mittat, qui suos populos Christiana religione, præceptisq; informant. P. Rector gratissimum sibi nuncium illum ostendit, paratumq; se, suosque ad illi obsequendum: Verum sine superioris potestate ab eo loco commoueri non licere, neque ab superiore, qui passuum millibus quadringentis abesset, ante duos menses responsum haberi posse. Princeps Verius ne nisi ad conductam diem reuertisset, ante aliquid à suis domi turbaretur, constituit proficisci; relictoq; filio sue fidei obside, & Christiana religione institueretur, baptizareturq; proficitur. Post duos menses adest iterum bonus & iq; princeps, inuenitq; responsum à superiore datum, ingressum ad eos modo non patere, in posterum tamè deliberaturos quomodo

quod eis consulatur. Conturbavit non nihil hoc re-  
sponsum Principis animum, atq; tum aegritudine, tum  
stineris labore, homo praesertim aetate iam affecta, in  
morbum incidit, mortiq; proximus postulavit, ut bap-  
tizaretur, filioq; cum suis domum remisso ipse, iam  
baptizatus, magna cum pietatis significatione spiri-  
tum Deo reddidit.

Concludam VIRIDARIVM cupresso  
& epicedio, quod in vltima mundi  
vota & fata panxi.

# CRISIS.

Siue

VLTIMVM TRIBVNAL.

I.

**A** Deste mundi praesides,  
Mitraq; purpuraq;

Adeste sceptrum, fasciam,

Et fascium secures;

Adeste viui, mortui

Olimq; nascituri;

Carmen fero plorabile:

Audite fata mundi.

II.

Singultiente spiritu,

Hiulca trudo verba;

T 2

Pro-